DE HYGIENICO ATQUE THERAPEUTICO USO BALNEI FRIGIDI…

Luigi Dalla Giusta

DE
HYGIENICO ATQUE THERAPEUTICO USU
BALNEI FRIGIDI

DISSERTATIO INAUGURALIS

AD

Medicam coronam obtinendam

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AB

ALOYSIO DALLA-GIUSTA

PROPOSITA

PATAVII
TYPIS PENADA
MDCCCXLIII.

A TE

LUIGI IVANCICH

TENERISSIMO DEGLI AMICI

QUESTO POVERO SCRITTO

ONDE

NELLA LONTANANZA

TI RICORDI IL MIO AFFETTO

E TU MECO DIVIDA

LA LETIZIA DI QUESTO GIORNO

Lavatio corporis in frigida
bona ad longitudinem vitae.
BACON VER. *hist vit et mort.*

Homini undequaque potentiis nocentibus, illius conservationi insidias struentibus, circumdato, provida Natura ubique congrua auxilia suppeditavit, ut ipsis reageret easdemque fugaret; nec herbula, nec flosculus, nec lapillus sua medica virtute carent, quum rite adhibeantur; quin immo et ipsae nocentes potentiae, sagaci manu propinatae, conservatricem vel restituentem actionem exercere possunt — atque non raro quae simpliciora sunt majori pollent effectu. Haec inter balneum frigidum recensendum; quod, quum rarius in usum trahatur quam par sit et potenti efficacia praeditum observetur, nunquam satis a medicis commendatur. Quapropter, quum hac die mihi laetissima, qua medica corona exornor, medicam dissertatiunculam proferre debeam, academicis legibus obediens, de balneis frigidis disserere tento, utpote quorum usum magis extensum desiderarem, illorum utilitati summopere fi-

dens. Bonae voluntati faventes, juvenili infirmitati parcite.

Latissimo sensu sub nomine balnei intelligitur immersio corporis vel hujus alteriusve corporis partis in quocunque medio, a consueto differente — Substantiae complures ad balneum adhibebantur, hic vero quin illas recenseamus sat sit praecipuas balneorum divisiones exponere. Et primo pro substantia ex qua balneum conflatur, balnea simplicia atque composita habemus — balnea solida, aëriformia, liquida etc. Ceteris omissis, de balneo aquae, scilicet de balneo simplici, sermonem habeo.

Temperiei gradus balneum simplex in frigidum et calidum distinguit. Licet balneum frigidum diversa gaudeat activitate pro vario temperiei ipsius gradu, licet pro tempestate aliisque pluribus conditionibus balneum frigidum ejusdem gradus organica corpora immergenda diversa prorsus ratione afficiat — tamen auctores distinctissimi proponunt limitem praefixum inter frigidum et calidum balneum, decimumquintum scilicet gradum thermometri Réaumuriani. Quum hanc divisionem retineamus in memoriam revocare necessarium censemus balnei tum frigidi quum calidi effectus eo magis perspicuos esse, quo magis temperies a praefixo limite distat. Balneum frigidum simplex est igitur illud, lato sensu loquendo, in quo aqua adhibita temperie gaudet infra decimum quintum Réaumuriani thermometri gradum.

Balnea praeterea varia nomina assumunt pro diversis organismi partibus quibus applicantur. Hoc sub respectu balneum dicitur *universale* si universum corpus immergatur, *semicupium*, *sessile*, *pediluvium*, *manILuvium*, *lotio*, *ablutio* etc. prouti pars corporis inferior, vel media, vel pedes, vel manus aut quaevis alia in aquae contactu ponantur.

Hisce generalibus praemissis, de balnei frigidi in organismum actione tractatum adgredior.

Inter explicationes, quas auctores complures de balnei agendi ratione subministrant, mechanicae theoriae praevalent.—Certum quidem est quod rarefactio et condensatio fluidorum et solidorum, aquae pressio, augmentum vel imminutio calorici, haec omnia balneorum actionem augeant et modificent; sed praestans et essentialis causa phaenomenorum sub immersione et post ipsam contingentium repetenda est a viribus vitae specialibus cujusvis systematis, cujusvis organi, peculiari ratione modificatis per humiditatem et temperiei vicissitudines ad corporis superficiem locum habentes. Sed quomodo hic influxus super vitales vires contingit? Organorum sympathiae, nervosa irradiatio plurimum certe conferunt ad relatas mutationes inducendas atque diffundendas; sed, sicuti plusquam causae primae facti studium utile visum est, facta investigare praevalehit.

Cutis est organon in quod directe balnea actionem suam exercent, ope hujus involucri

communis et generalis omnium corporis partium, animalis oeconomia universa balneorum immediatum vel sympathicum influxum recipit. Cutis ergo hoc respectu peculiarem attentionem meretur.

Cutis organisatio summopere complicata est, membranis, vasis, nervis decussatis instructa; excretioni providet partis liquidorum quae non amplius nutritioni inserviunt: plures et summi momenti functiones exercet; tactui enim dicata est, absorptioni et exhalationi sedem sistit; et praeterea exquisita gaudet sensibiliteta, cujus ope continuo antagonismum et reationem cum internis organis sustinet; et diverticulum fere constituit, ad quod in turbis organorum centralium maxima fluidorum pars transfertur. Hic nexus organi cutanei cum ceteris omnibus organismi partibus nos monet cujus dignitatis sit studium functionum cutis in statu physiologico et pathologico, et etiam sub balnei actione.

Praecipua sympathia, quae cutem cum aliis organis nectit, ab internae et externae exhalationis proportione repetenda est, quapropter, hac imminuta, altera augetur et viceversa.

Externum involucrum diversa ratione internas partes in compassionem trahit, quum in sua textura, suisque functionibus plures et altioris momenti differentias praeseferat pro aetate, sexu, temperamento etc. Monendum quoque quod cutis in diversis regionibus corporis diversa receptivitate et reagendi facultate gaudeat erga impressiones di-

rectas, et consequenter quod differat actio balnei pro diverso loco cutis cui applicatur. Ita differt balnei effectus prouti prius pedes vel caput immerguntur, prouti sensim vel subito aquam ingredimur, pronti hoc membrum in aqua aliud in aëre libero remanet. Ex hac causa procedit quod aliqui spasmis afficiuntur si aqua diaphragma superat, alii suffocationis periculo urgentur dum aqua partem inferiorem thoracis tangit, et dein libere respirium ducunt statim ac universum corpus, capite excepto, immergatur.

Si exacte balnei effectus consideremus admittere fas est quod nulla corporis regio, nullum systema huicce actioni subtrahatur: systemata vero, quae magis perspicue balnei effectum persentiunt, sunt arteriae, venae, lymphatica, capillaria vasa, cutis, membranae mucosae; functiones quae praesertim a balneis modificationes recipiunt sunt tactus, absorptio, exhalatio, atque caloris animalis evolutio et congrua distributio per universum organismum.

Priusquam medica virtus balnei frigidi eruatur necesse est ut varia symptomata exponamus, quae sub ipso balneo locum habent. Statim ac corpus in aqua frigida immergitur peculiaris frigoris sensatio evolvitur gradui temperiei respondens, atque praeterea insolita nervosa sensatio locum habet, quae frigoris gradui atque impressionis celeritati adcommodatur. Cum nervosa sensatione superius notata saepissime conjungitur tremor et convulsivos anhelitus atque confusa men-

talis sensatio ad timorem prope accedens. Hisce deletis grata potius sensatio insurgit, quae per cuncta diffunditur systemata. Exactius investigando sensationes, quae balneum frigidum sequuntur, sequentia notatu digna observamus. Prius horripilatio generalis succedit, systematis nervosi successio a peripheria ad centrum promanans, cutis restringitur, decolor fit et anserina, labia et os pallidiora fiunt, tremor convulsivus maxillas et labia atque artus invadit, respiratio interrupta, irregularis, anxia, lentior sequitur, levis cephalalgie locum habet, pulsus deprimitur, profundus et parvus tangitur, turgor vitalis imminuitur, extremitates torpent, lotii emittendi pruritus manifestatur etc. In posterum haec omnia silent, aquae praesentia vix animadvertitur, vel potius calorem communicare quam frigus videtur. Balneo vero continuante novitus frigoris sensus insurgit, tremores rursus contingunt, horripilationes permanentes fiunt, extremitates rigidae evadunt, universum corpus languet, exhaustum, enervatum conspicitur. Hic frigoris sensus nunquam a calore subsequo fugatur; sed actione frigidae aquae continuante universalis tremor succedit. Si vero qui balneo utitur, priusquam secundus tremoris insultus adpareat, aquam relinquat, spasmus cessat, vitalis energia a centralibus organis ad periphericа advocatur, sanguinis adfluxus adanctus cutis calorem intendit, ipsique ardorem fere communicat, pulsus vim et celeritatem solitam recipit, reactio fere febrilis locum habet, cutis vita-

lis turgor augetur, et perspiratio cutanea modice intenditur; omnibus tandem restitutis, universum corpus activitatis et energiae characterem diu retinet.

Quae retulimus, praecipua sunt phaenomena, quae balnei frigidi applicationem sequuntur, ut vero melius analysis balneorum activitatis instituatur, praestat ea exactius distinguere in symptomata directe e balnei applicatione sive impressione prodeuntia et symptomata reactionis vitalis, methodum ab illustri Joanni Forbes propositam sequentes.

Effectus, qui ad balneum pertinent, strictissimo sensu ad sequentes referuntur —

1.° Prima balnei frigidi actio a systemate sensifero colligitur. Universum systema nervosum subito hujus impressionis particeps fit et fere nocenti potentiae cedit, priusquam vero altiores functiones laedantur, vitalis reactio, de qua in posterum, manifestatur. Quum autem vividissima impressio sit, nec debile nervosum systema reagere possit, vitalium virium depressio completa fit, diutius durat et vitae ipsius extinctio locum habet — Hac ex causa mors ex refrigerio aliquando habetur, quum scilicet qui calorici subtractionem patiuntur debita reagendi vi careant.

2.° Sub frigidi balnei applicatione frigoris sensus insurgere debet, gradui temperiei et durationi immersionis respondens.

3.° Humores omnes animales sub balneo a peripheria ad centrum impelluntur, idque procedit

ex contractione capillarium a corpore frigido applicito derivante, quapropter ipsorum lumen imminuitur, vel etiam pro tempore saltem destruitur— ex nervosa impressione superius notata — et denique ex mechanica compressione ope aquae instituta, scilicet derivante a fluido aëre densiore.

4.° Aqua frigida textuum obstipationem juvat, idque contingit ex physica calorici, potentiae nimirum expansioni textuum faventis, subtractione atque ex vitali impressione in organismum lata. Obstipatio prae ceteris locum habet in partibus cum quibus frigidum fluidum in contactum venit, sed in posterum alii quoque textus hunc effectum persentiunt.

Phaenomena, quae superius retuli, semper contingunt sub frigido balneo, diversa licet intensitate pro differentibus conditionibus.

Ut clare propulsio sanguinis ad centralia, quae sub balneo succedit, demonstretur, in memoriam revocare sat sit quod cutis insigni notetur pallore, et partium turgor imminuatur — obstipationis vero contingentis exemplum habemus in scroti retractione atque penis, nec non in digitis, ex quibus anuli cadunt, quibus ornabantur.

Alia phaenomenorum series, sub balneo locum babentium, a vitali reactione dependet. Sub impressione a fluido frigido peracta, nervosum systema excitatur, majorem activitatem ostendit ut potentiae *nocenti* applicitae valide reagat. Retropulsio humorum, et sanguinis praecipue, ad centra excitationem nervorum adjuvat, ut magis

perspicua sit et magis intensa reactio. Propterea organa vitae centralia, cerebrum prae ceteris et cor, actionem suam adaugent: idemque cor in sanguinem, in suis cavitatibus majori copia collectum, valide reagens, illius impulsioni ad peripheriam favet; sicque nova extensio vasorum, novus calor, novus vitalis turgor producuntur.

Ab allatis a nominato auctore facile concipitur quomodo diversi effectus a frigido balneo habeantur; ex hisce sequentia consequenter deducuntur. Quum aqua frigida in contactum organismi feratur, ut aequilibrium inter corpus et fluidum circumagens restituatur, illico caloricum fluidum physice subtrahitur; quapropter peculiaris sensus in loco adplicationis insurgit temperiei imminutioni respondens. Sanguis ad centra propellitur, nervi impressionem diffundunt et organa centralia, praesertim circulationi dicata, a sanguine extensa mechanice atque dynamice irritata, reagunt validissima intensitate et novitus ad locum adplicationis frigidi balnei sanguinem mittunt, ut caloricum restituant, et animale aequilibrium servetur. Tunc sensatio molesta frigoris cessat, et amoena potius impressio locum habet. Hoc vero oblectamentum diu non perdurat; continuante enim frigidi fluidi applicatione, et calorici jactura locali perseverat; quapropter, quum internae organismi partes continuo jacturas reparare tentent, sanguinem et caloricum principium ad subtractionis locum impellendo, tandem exhauriuntur, non localis sed universalis

caloris imminutio locum habet, donec postremo animale caloricum plane aufertur et mors ipsa contingit.

En quomodo, phaenomenis allatis rite perpensis, varios frigoris effectus explicare possumus. Priusquam tamen hanc ad theoriam accedamus monendum quod licet phaenomenorum successio eadem semper sit, tamen non semper eadem manifestentur intensitate symptomata, nec tempore eodem occurrant; quum temperiei imminutae gradus, et organismi diversa receptivitas atque diversa reactio summopere influant ad relatos effectus citius seriusve manifestandos. Quae diximus explicare possunt quomodo auctores complures de balneorum actione disserentes ambages proferant. Phaenomena a balneo frigido prodeuntia sejunctim considerantes, hoc modo deprimens, modo roborans, modo stimulans etc. nominarunt; talique ratione erronea opinio aliquando insurrexit quod amissio principii efficacissimi et ferme praecipui vitae eam intendere possit, quum medici attentum studium phaenomenorum negligerent, nec observarent augmentum vitalitatis in loco adplicationis frigoris contingens topicum solummodo esse, cum jactura internarum virium procedere, atque non immediate a frigore sed a vitali reactione dependere: tali pacto plures asserebant caloris et frigoris effectus eosdem, quia notarent, hosce effectus locales tantum et momentaneos esse, quin progressum animadverterent actionis hujus alteriusve, vel internarum partium conditio-

nem sub illorum applicatione, quin conciperent quod licet primus et extremus frigoris et caloris, diutius protracti et intensissimi, effectus idem sit, (scilicet mors) is tamen diversa prorsus via contingebat.

Hisce praemissis nostram adjungere sententiam audemus —

1.° Balneum frigidum primo excitat sed topice solummodo, aequam distributionem virium centralium juvando.

2.° Dein uti roborans egit, non per se, sed vitali reatione excitata.

3.° Diutius protractum vel magis intensum caloricum principium locale non modo subtrahit sed etiam universale et etiam vitalem reactionem destruit — tum vera actio balnei frigidi manifestatur.

4.° Robur post balneum adparens non ex novo principio vitali addito est repetendum sed potius ex aequilibrio et aequa distributione vitalium virium atque ex intensa reactione vitali.

En quomodo, in localibus inflammationibus v. gr., frigoris adplicatio momentanea eas augere possit, illas immo aliquando frigus inducat, uti rheumaticas et catarrhales affectiones; et dein frigus diutius adhibitum illas sedare et omnino auferre queat. En quomodo ex eadem nocenti potentia auxilium repetere possimus.

Balneum frigidum, ex quo superius relati effectus derivant, praecipuum hygienicum et therapeuticum auxilium constituit. Hujus veritatis

persuasi veteres balneum frigidum omni aevo commendarunt: balnei frigidi usum hygienicum in Biblia jam atque in Homeri poëmatibus diffusum legimus. Graeci, omnes inter nationes, primi balnea publica instituerunt; de talibus balneis mentio facta est etiam in fabulosis primae Graeciae historiis. Mercurialis nos monet quod prope gymnasia publica balnea aderant. Inter omnes Graecos, qui primi balnei frigidi usum diffuderunt, Lacedaemones fuere et forsan hujusmodi balneum huic populo pro maxima parte animi et corporis mirabile robur tribuit. In posterum et alii Graeci hanc praxim amplectebantur. Romani jam a primis Romae temporibus hisce balneis utebantur ad fluvia, ad lacus; in posterum vero balnea publica summae magnificentiae condiderunt. Celsus nos admonet quod Romae primus Asclepias qua therapeuticum auxilium balneis uteretur. Auctores meritissimi referunt Romanos plures aestatis tempore octies de die aliquando balneum instituisse. Imperator Augustus ope frigidi balnei a morbo vehementi liberabatur juxta praecepta Antonii Musae. Inter antiquitatis populos balneis summopere indulgebant Persae.

Quin vero nationum usum balneorum amplius exponam, medicorum opiniones de hoc argumento referre praevalebit. Ab Hippocrate ad nos usque maxima pars practicorum consideravit aquam externe applicitam uti summae utilitatis, qua hygienicum et therapeuticum auxilium, ad

morbi solutionem promovendam; hic recensendi sunt Galenus, Celsus, Aëtius aliique plures antiquitatis medici. Quidam auctores putant quod apud veteres rheumaticae affectiones rarissimae fuerint ex eo quod communiter balneis frigidis utebantur. Certum est quod frequentes ablutiones Hebraeis injunctae, eo scopo commendabantur ut plures morbi cutanei praecaverentur, quibus obnoxii erant propter nationalem idiosyncrasiam, vel propter climatis influxum, sive etiam spurcitiem in universo populo diffusam — Idam repetendum de pluribus nationibus orientalibus, in quibus balnea a religiosis praeceptis praescripta sunt.

Praecipua utilitas, quae ex balneo frigido deducitur, repetenda est eo quod tali pacto corpus assuefit vicissitudinibus temperiei, atque hoc modo minori sensibilitate recipit impressiones ex improviso transitu a frigore ad calorem et vice versa derivandas. Quo magis depressa est temperies, quam sufferre discimus, eo tutius sanitatem servare possumus. Frustra delicatulae feminae omni studio vicissitudines atmosphaericas vitant; qui vestibus fere obruuntur, qui aërem liberum fugiunt et calefactum solum respirant magis morbis obnoxii sunt ac agricola, ac nauta, quos imbres, quos ventus continuo exagitant.

Homines procul dubio vitam magis prosperam ducerent si jam a primis unguiculis, quin stragulis obruerentur, quin fasciis ligarentur, quin aëre impuro degerent, aquae frigidae actioni sensim sensimque assuefierent. Nationes et familiae

quae hanc proxim amplectuntur hujus veritatis firmissimum argumentum nobis suppeditant. Statisticae notiones thesim nostram confirmant. Id opinio Baconis, quam retuli, comprobat. Quidam ad pestem praecavendam balneum frigidum laudant, atque Hallé refert Byzantii, qui aquam continuo tractabant, impune cum peste affectis congredi potuisse. Educatio physica infantum auxilium praecipuum a balneis frigidis repetit. Si vero haec balnea instituantur prius tepens aqua adhibeatur et dein sensim sensimque frigida in usum trahatur, primisque vicibus immersio solum fiat, quae in posterum per longius tempus produci debet. Balnea frigida tali pacto instituta tanta gaudent vi in infantibus debilibus, languentibus, scrophulosis, rhachiticis, ut non modo harum cachexiarum evolutionem praepediant, sed etiam habitum ipsum corrigere possint. In quibusdam Angliae regionibus, Brown monente, matres mane et vespere pueros, in aquam frigidam immergunt, ut scrophulam, rhachitidem, epilepsiam convulsiones praecaveant.

Quamvis utilitas balnei frigidi in pueris clare pateat, tamen non suademus ut neonati subitae impressioni balnei frigidi exponantur — revera aliquando molesta frigoris impressio convulsiones inducere potest — summa mollities et permeabilitas omnium textuum timorem injicit congestionum cerebralium, viscerum infarctus etc. Debilitas praeterea infantis, mutatio rapida neonati ex temperie uterina ad externam et praesertim ad

frigidam aquam suspicioni favent quod reactio desit, vel incongrua opponatur, et receptivitas excedens observetur.

Balnea frigida, quae functiones omnes feminarum quum rite adhibentur, hygienico usu, normales servant, instituti nequeunt sub menstruatione, ne forte profluvium physiologicum supprimatur.

Praecipua vero utilitas balnei frigidi tum habetur quum in aperto balneum instituatur, et natatus exercitium addatur, tum aër liberius pulmones intrat, tum musculorum motus reactionem vitalem faciliorem reddit, et calorici jacturas facilius reparat; atque hoc sub exercitio perspiratio cutanea magis activa fit post balneum, quae jam, uti Sanctorius suis experimentis demonstravit, major et magis expedita post balneum ac ante illud perficitur. Sub natatione musculi majus robur et majorem elasticitatem acquirunt. — Hoc exercitium delicatulis et praesertim juvenibus convenit.

Quum tali ratione praecipuas utilitates notavissem ex hygienico usu balnei frigidi prodeuntes de illius therapeutica efficacitate disserere breviter nitar, morbos praecipuos nominando, in quibus praesertim hoc balneum laudatum est.

Prae ceteris omnibus casibus balneum frigidum in usum trahitur summa cum utilitate in universali debilitate pueros juvenesque afficiente, ex morbis praegressis sive ex congenita constitutionali conditione originem sumente. Habitus stru-

mosus prae aliis hasce utilitates persentit. Rhachitidem praeterea nominare debemus; saepissime pueri, quacunque ossium deformitate affecti, sub balneorum usu perfectam sanitatem recipiunt; sed prae medicis consiliis saepissime parentes praxim hanc summopere salutarem respuunt.

In morbis inflammatoriis valde utilia balnea frigida reperiuntur tum localiter tum universaliter applicita. — Meningitis, encephalitis, gastro-enteritis etc. praecipuum auxilium a balneis frigidis repetunt. Hisce in casibus non modo loco affectionis sed etiam in loco remoto balnei frigidi applicatio juvat; nam, praeter calorici subtractionem, revellentem quoque effectum practici complures inde exspectant. Affectiones catarrhales, affectiones rheumaticae quoque balnei frigidi ope aliquando tractabantur, etiam bono cum exitu. Sed quomodo ex ipsa causa nocente remedium exspectare possumus? jam superius exposuimus quomodo, pro duratione et gradu, frigus varios inducat effectus ita ut morbum ipsum sanare valeat, quem ante produxit: si praeterea utilitatem frigoris in affectionibus hujuscemodi explicare tentamus, in memoriam revocare debemus consensum et antagonismum inter varias membranas locum habentes. Bonos effectus balnei frigidi in morbis inflammatoriis topicis externis nemo negabit. —

Febres intermittentes etiam in balneo frigido remedium habent. Damnandus tamen est usus balnei frigidi sub accessu febrili et praesertim in stadio algido.

Quidam balnea frigida in exanthematibus indistincte adhibent; quidquid de hac sententia judicandum sit, certum est morbos exhanthematicos plures a balneo frigido sanari: idem de impetiginibus repetendum.

Balnei frigidi virtus, in sistendis haemorrhagiis cujusvis generis, neminem latet.

Si morbos nervorum exacte perpendamus, nullum ipsorum invenimus, in quo balnei frigidi utilitas laudata non sit — huc referuntur v. gr. mania, melancholia, hypochondriasis, hysterismus, epilepsia, chorea S. Viti etc.; quin immo et ipsa morbosa symptomate vitae animalis ex hoc remedio fugabantur vel saltem sedabantur — ite asthma, agrypnia, cardiopalmus, dyspepsia et quaedam paralyseos species.

Etiam amenorrhoea balnei frigidi usum admittit.

Quidam practici balneum frigidum suadent et praecipue locale ad herniae incarceratae reductioni favendum: alii in hydrophobia ipsa hoc auxilium tentarunt, proh dolor! tentarunt solummodo, nam hucusque medica scientia in hunc dirissimum morbum certum auxilium detegere non valuit. Quamobrem priusquam morbus evolvatur ante balneum, si auxilium tempore congruo ferre liceat, partem organicam, viro hydrophobico laesam, amovere oportet.

De balnei frigidi utilitate ad pestem praecavendam superius loquntus sum, idem de ceteris contagiis repetatur.

Praeter allatos, plures alii morbi balneorum frigidorum usum admittunt, quos omnes nominare longum et supervacaneum foret.

Concludere sat sit summam activitatem esse frigidi balnei tum ad salutem servandam quum restitutendam, hancque activitatem majorem observari quum aquae medicatae adhibeantur, uti marina et aquae minerales; — illarum enim est, praeter efficientiam praecipuam a temperie aliisque memoratis adminiculis repetendam, virtus summa a medicaminibus quibus imbuuntur derivans.

THESES DEFENDENDAE

I.

Balneo frigido virtus roborans non generaliter tribuenda.

II.

Medicina homoeopathica medicina est psychica.

III.

In desperatis remedia vegetabilia mineralibus posthabenda.

IV.

Lectura libri medici hypochondriacis venenum.

V.

Medicina ecletica, stricte loquendo, haberi nequit.

VI.

Causam proximam maniae a phosphori abundantia in cerebro repetere, uti Cuerbes proposuit, somnium.

VII.

Vera phlogosis sine organica mutatione residua aut aliquo producto non datur.

328

VIII.

Falsum quod exercitium, uti plures censent, objecta, quae inversa ad retinam feruntur, directa cernere sinat.